



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Formula facultatis confessarij Monialium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

citum nostrum, & donec reuocentur per nos, duntaxat duraturis. In quorum fidem &c.

Formula facultatis visitandi Monasteria Monialium ex delegatione Apostolica.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo ven. N. salutem in Domino. De tua fide, prudentia, ac in rebus regendis experientia in Domino cōfisi, auctoritate Apostolica nobis per diuersas literas, tum Apostolicas, tum etiam Illustrissimorum DD. Cardinalium Congregationis super reformatione specialiter concessa, tibi per praesentes committimus & mandamus, vt Monasteria Monialium in Prouincia nostra Mediolanensi existentia, quae, & prout expediens tibi videbitur, visites, & de ipsorum Monasteriorum statu, ac ipsarum Monialium vita & moribus, regularibus institutis, ac Monasticæ disciplinae obseruantia diligenter inquiras; ac super his, & quibuscunq; abusus, nec non criminibus, excessibus, & delictis, si quae deprehenderit, processus facias, informationes quascunq; sumas, ac alia, quae tibi ad aures commissimus, & quaecunq; in praemissis, & circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, facias, geras, & exequaris. Super quibus omnibus & singulis, plenam, amplam, & omnimodam potestatem tibi concedimus, & impartimur. Mandantes omnibus & singulis Abbatissis, Priorissis, & alijs quibuscunq; Superioribus dictorum Monasteriorum, in virtute sanctae obedientiae, ac sub pena priuationis officiorum obtentorum, ac etiam censuris, alijsq; poenis Ecclesiasticis arbitrio tuo infligendis, vt mandatis tuis pareant; nè te in visitatione, correctione, alijsq; per te faciendis, quoquo modo impediunt, per se, nec per alios, quouis quaesito colore, vel praetextu, In quorum fidem &c. Dat. &c.

Formula facultatis pro Concionatore Monialium.

CAROLVS, &c. Dilecto nobis in Christo R. N. salutem in Domino. Vt in exteriori colloquutionum loco, Monasterij Monialium S. N. Monialibus ipsis in communi & intra claustra ad crates ferreas congregatis, verbum Dei, Aduentus scilicet bis, Quadragesimae verò (saltem ter singulis hebdomadis, Reliquo autem anni tempore bis in mense, praedicare liberè & licitè possis & valeas (dummodo quae in libello instructionum praedicationis huiusmodi, ex decreto Concilij tertij Prouincialis edito, Ciuitatis, & Diocesis, ac Prouinciæ nostrae Mediolanen. Concionatoribus tradita sunt, in Concionibus tuis serues, & à quocunq; singulari colloquio cum aliqua ex monialibus habendo omnino abstineas, & abstinere debeas) licentiam & facultatem ad annum proximè venturum tantum duraturam, tibi harum serie concedimus & impartimur. In quorum fidem &c. Dat. &c.

Formula facultatis confessorij Monialium.

CAROLVS &c. Dilecto nobis in Christo N. Tibi cuius vita, & morum probitas per testificationes nobis factas probantur, vt Monialium Monasterij S. N. confessiones audire, eisdemq; ecclesiastica Sacramenta ministrare possis, cum facultate casuum nobis reseruatorum, necnon praedicti Monasterij clausuram, in casibus vrgentis necessitatis atque confessorio, tum ex forma sacri Tridentini Concilij, tum ex Bulla Sanctiss. D. N. Papae Gregorij XII I. permissis, ingredi, seruatim quae in Concilijs Prouincialibus, & Synodis Diocesanis Mediolanensibus, ac etiam decretis generalibus Visitatoris Apostolici, Sacerdotibus, & Confessorijs Monialiū praescripta sunt, ad . . . his nostris concedimus facultatem. Dat. &c.

For-